



1. Olearij. Gottfr. / diff. de morte et vita
fidelium cum Christo, Lipsiæ 1710.
2. Olearij. Joh. / diff. de correptione
concionatoria, Lipsiæ 1689.
3. ——— / diff. de lacrimis Christi sub
ingressum Hierosolymorum fufis,
Lipsiæ 1683.
4. ——— / diff. de resurrectione spiritua,
Lipsiæ 1698.
5. oporini. Joach. / programma de demon-
stratione spiritus ac virtutis.
Göttingæ 1738.
6. ——— / diff. de usu doctæ simplicis
fatis contra scepticos, Göttingæ 1739.
7. Ortlob. Joh. Christoph. / diff. de samue,
a judice et propheta non pontifice,
aut sacerdote sacrificante, Lipsiæ
1719.
8. ——— / diff. de pacto Davidis et Abneri
contra Isobsetum, illicito, Lipsiæ 1709.

DISPUTATIO THEOLOGICA,
DE
FIDE PATRUM
ANTE-DILUVIA-
NORUM,

Ex Epist. ad Ebræos, Cap. XI. vers. 1.

& seq. deducta,

Quam sub Auspiciis

JESU CHRISTI

τῆ τῆς Πίστεως Αρχηγῆ καὶ Τελειωτῆ

PRÆSIDE

VIRO

Summe REVERENDO, AMPLISSIMO

ATQUE DIGNISSIMO

DN. JOH. CHRISTOPH. PFAFFIO,
S.S. Theol. D. ejusque P.P. longe Celeberrimo, Ecclesiae
Decano spectatissimo, ut & Stipendii Theolo-
gici Superintendentente Gravissimo.

Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suorum

Studiorum pie sanctaeque Colendissimo

Publico Examine subicit

M. JOHANN EBERHARD STEIN, Neostadiensis

ad Tiliam Magnam, SS. Theol. Stud. & Ser. Stip.

Ad diem

Septemb. M. DCCXVI.

TUBINGÆ, Literis JOSEPHI SIGMUNDI.

DISPUTATIO THEOLOGICA

FIDE PATRUM
ANTE-DILECTA

NORUM

Ex Epist. ad Ebricos, Cap. XI. vers. 1.

& sed habet

Quodlibet

IESU CHRISTI

in hunc mundum

PRASIDE

VIRO

SWAN-RENERANDO AMPLISSIMO

Magistro theologiae

DR. JOH. CHRISTOPH. PLATFIO

Magistro theologiae, Praeceptor. Catechetico, Rectoris

Academiae theologiae, et Philosophiae

Magister theologiae, et Philosophiae

Magister theologiae, Praeceptor. et Promotor. honoris

Magister theologiae, Praeceptor. et Promotor. honoris

Magister theologiae, Praeceptor. et Promotor. honoris

M. JOHANN. RICHARD. STERN, Neostadensis

Magister theologiae, Praeceptor. et Promotor. honoris

Magister theologiae, Praeceptor. et Promotor. honoris

THURINGIAE, JOSEPHI SIGMUNDI





F. N. F.

Analysis Capitis XI.



Aput XI. Epistola ad Ebræos in duas partes communiter dividitur. In prima definitio fidei habetur gemina, ꝑ. 1. quæ confirmatur generatim exemplo & majorum ꝑ. 2. & creationis, ꝑ. 3. In parte altera fidei salvificæ efficacia dilaudatur probaturque speciatim quadrupla exemplorum inductione I. Sanctorum antediluvianorum, Abelis, ꝑ. 4. Enochi, ꝑ. 5. Noæ. ꝑ. 7. II. Patriarcharum, Abrahami 8. 9. 10. cum sua Sara, I I. 12. & seq. Isâci, 20. Jacobi, 21. Josephi, ꝑ. 22. III. Fidelium quorum mentio fit in itinerario Ægyptiaco, Mosis sc. ꝑ. 23. & seq. Israelitarum v. 29. & Rahab. v. 31. Denique IV. Piorum judicium, Regum & Prophetarum v. 32. & seq. nec non Martyrum ꝑ. 36. quorum singulis peculiarια fidei documenta atque specimina assignantur.

Exegetis.

vers. I.

Ante omnia autem ut constet, quod perseverantiam ipsa fidei natura inferat, hanc incipit Autor ita definire, ꝑ. 1. *Est autem fides eorum, quæ sperantur hypothesi, rerum elenchus quæ non videntur.* Pingitur hisce fides non qualiscunque sed justifica, ut non tantum ex ꝑ. sequentibus, 4. 6. 7. &c. sed & ex antecedente Cap. X. 38. constat. Illa vero fides non est habitus actusve simplex, sed ex pluribus seu habitibus seu actibus aggregatis, distinctisque infidet facultatibus, unde & diversis h. I. nominibus

A 2

venit.

venit. Quatenus enim fiducia est voluntatem afficiens, vocatur eorum præcipue, *quæ sperantur, hypostasis*. Ab Augustino quidem active reddebatur: fides est sperantium hypostasis, tractat. LXXIX. in Johann. T. IX. f. m. 442. Quod & Bellarmino placet, lib. I. d. Justif. c. 5. T. IV. f. m. 707. Rectius vero Græci omnes passively intellexerunt, Chrysofomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius & præsertim Basilius in Ps. CXV. f. m. 300. Uti enim fides non est elenchus non videntium, sed rerum quæ non videntur, ita nec sperantium, sed eorum quæ sperantur, ex. gr. vitæ æternæ γ . 13. 16. 26. est hypostasis. Hæc vox ab ὑπόστασις deducitur, notatque fiduciam & apud Profanos. De Horatio enim Coelice, quod hostes ἐχθροὶ τὴν δύναμιν ἀστὴν ὑπέσασιν, non tam robur quam confidentiam metuerint, dilaudat Polybius, illamque ὑπέσασιν mox per τόλμαν explicat, Lib. VI. Histor. f. m. 497. Fiducia præsertim salvifica & apud LXX. ὑποστάσεως nomine redditur, Ruth. I. 12. Ps. XXXIX. 8. Ez. XIX. 5. Mich. V. 7. Maxime vero Paulus fiduciam vocare hypostasin consuevit h. l. & Eb. III. 14. II. Cor. IX. 4. XI. 16. non quidem, ac si fides res longissime absentes cœloque inclusas sisteret ceu humi præsentis, qui Calvinianorum fucus est, Fidelibus enim V. Test. promissiones fuerant creditæ, nec per illam tamen fidem ipsi propiores factæ, sed nihilominus de procul tantum visæ, γ . 13. Nec h. l. quod Thomas & Scholastici vellent, fides virtutum hypostasis nuncupatur, uti substantia accidentium basis vulgo dicitur. Nihil enim hic de virtutibus habetur, sed de iis tantum, quæ sperantur. Hæc qua futura, objectum sunt spei, fidei vero qua divinitus, promissa adque fideles pertinentia, in quorum ita non solo esse intellectu sed appetitu quoque intelliguntur, conf. γ . 9. 13. 17. 33. 39. Adeoque fides h. l. in oppositione ad omnem fluctuationem & ὑποστολήν Eb. X. 38. 39. est hypostasis ac sustentaculum, in quo animus præsentis Dei promissione subnixus immote subsistit, omniaque quæ inde speranda sunt, sua facit, quod tam voluntatis est quam intellectus, ple-

plenamque infert fiduciam. Hinc & B. Dannhauerus: *Est sane fides aliqua ὑπόστασις* 1. *architectonica, tanquam basis & columna (qua cum lignea sit, saepe diuturnitate lapidescit) aedificii.* 2. *Botanica Luc. VIII. 13. qua tanquam radix subinde sanguinem Christi exuens ramos charitate fecundat, & fundo suo penitissime tenacissimeque haeret.* 3. *Militaris, que quasi vestigio stat nec hosti cedit, & signiferi instar vexillo suo immoritur.* 4. *Nautica, tanquam anchora, ἀσφαλῆς ἢ βεβαία magna velorum πληροφορία εἰσερχομένη εἰς τὸ ἐσώσκειν τὴν καταπεύσματα* Eb. VI. 9. 5. *Piscatoria, remora namque vel echeneidos instar onerariam thesaurorum divinum novum detinet, exemplo mulieris Cananae.* 6. *Conjugalis, qualis est copulatio mariti & feminae in legitimo matrimonio videlicet indissolubilis: talis fidei & promissionis connexio, ait B. Lutherus, in Hodosoph. p. m. 930. Fides vero quatenus notitia est & assensus, perficitur intellectum, h. l. nuncupatur II. rerum elenchus qua praecise non videntur sc. oculo corporis. I. Cor. II. 9. II. Cor. IV. 18. V. 7. I. Pet. I. 7. Alias quidem fidei etiam objectum esse possunt quae videntur, ex. gr. haec universa, Eb. XI. 3. ut & signa, de quibus Christus non tantum ad Judaeos: Nisi signa & prodigia videritis, non credetis. Joh. IV. 48. sed ad Thomam quoque: Quia vidisti me, credidisti Joh. XX. 29. Ipsa tamen fides, non est qualiscunque tantum notitia aut conjectura ex sensuum usu oriunda, (juxta illud πολυθευῶν Augustini: Fides est, quod non vides, ex. gr. Noa admonitus de iis, quae non videntur, infra. γ. 7. & Abraham credidit non videns. Rom. IV. 19.) sed elenchus potius, id est plenaria de summis Mysteriis convictio, quae non quidem ex perspicuis causis a priori, ex infallibili tamen verbi divini Thaboreo etiam lumine firmioris, II. Pet. I. 19. confurgit autoritate. Rom. IV. 19. 20. VIII. 24. Unde illi Thomae objurgationi Christus & hoc superaddidit: Beati qui non vident, sed credunt. Certe objecta fidei complexa: Deus est trinus in personis, Christus est θεῶν ἄνθρωπος, In caena corpus & sanguis Christi realiter adsunt,*

Ecclesia Christi est catholica &c. nullis usurpantur oculis, vid. Meissn. Philos. Sob. Part. II. S. 1. Q. 9. : *An vocabulum credendi excludat actum videndi?* p. 66. Hoc Apostoli oraculo si quisquam alius pessime abutitur Bellarminus l. c. ubi negat, fidem esse notitiam, quod sit non apparentium, negat esse fiduciam, quod res representet futuras, negat objectum fidei esse misericordiam Dei, quod misericordiae h. l. nulla fiat mentio. At singula sunt *ἀνακόλυθα*. Nec consequens est: Aer, spiritus, anima non videntur, E. nulla horum est notitia. Quæ enim corporis oculos non incurrunt, mente vel fide tamen capimus, *ψ. 3.* videmusque per speculum in ænigmate. I. Cor. XIII. 12. Multo minus sequitur: Quæ sperantur, representantur intellectui, E. fides nec fiducia est, nec ulla ex parte inhaeret voluntati. Nos argumentum potius invertimus: Quæcunque fides est hypostasis, qua fidelis certus redditur ac indubius, se res speratas aditutum olim ac possessurum, illa non est merus actus intellectus, sed fiducia quoque cordis. A. Fides h. l. E. Denique nec ultima ratio est valida: Nulla h. l. fit mentio divinæ Misericordiae, E. hæc non est objectum fidei salvificæ. Apostolus enim non intendit fidem juxta omnes causas & objecta hic describere, sed de ea id tantum adducit, quod ad scopum suum, ad urgendam scil. fidei perseverantiam, sufficit, quod fides scil. hypostasis sit ac elenchus; Ex quibus tale fuit argumentum: Quicquid per naturam suam hypostasis ac persistentia imo & elenchus Mentisque convictio est, illius natura importat perseverantiam. A. fides salvifica, E.

Vers. 2.

Fidem vero salvificam esse hypostasim eorum quæ sperantur, Autor illustrat exemplo Majorum fidelium: *per ipsam* inquit sc. fidem *testimonium* justitiæ & approbationis divinæ *ψ. 4. & 6.* *obtinuerunt* in Scriptura *Antiqui*, Patriarchæ sc. ac Prophetæ V. T. Hujus ita propositionis subjectum sunt *οἱ πρεσβύτεροι*, quos Apostolus vocaverat Patres c. l. *ψ. 1.* Prædicatum est *ἐμαρτυρήθησαν*.

Ἰουαν. Verbum μαρτυροῦν πλεumque in bonam partem accipitur, ut & infra ψ. 34. 39. & Act. VI. 3. X. 22. XVI. 2. XXII. 12. I. Tim. V. 10. Sic Deus testatus est de Enocho, quod ambulatit coram Domino, Gen. V. 24. de Noha, quod fuerit Vir iustus, Gen. VI. 9. de Abrahamo, quod suus fuerit amicus, II. Par. XX. 7. de Mose, quod fidelis fuerit in tota domo sua. Num. XII. 7. de Davide, quod vir fuerit secundum cor suum, I. Sam. XIII. 14. Et hoc obtinuerunt non operibus, sed ἐν ἀντὶ per fidem, qua amplexi fuerant promissionem de semine mulieris, conf. v. 9. 13. 17. 39. Adeoque doctrina de fide non est nova, sed saluarii in N. T. speramus æque ac Patres V. T. Act. XV. 10. Christus enim heri & hodie, Eb. XIII. 8. occisus ab origine mundi. Ap. XIII. 8.

vers. 3.

Fidem salvificam & elenchum esse non apparentium, Autor porro docet ψ. 3. exemplo creationis: *Fide intelligimus concinnata esse secula, verbo Dei, ita ut ex non apparentibus, ea qua videntur, facta sint.* Supra ψ. 1. futura & presentia, nunc etiam praterita docet Apostolus objectum esse fidei Deo credentis non tantum promittenti, sed & narranti pridem factam creationem, quam hoc eommate describens Apostolus exprimit I. principium cognoscendi: *Fide* quæ E. notitia, *intelligimus*, inquit, sc. ex revelatione: Creatio mundi quidem & ex naturæ lumine liquet a posteriori, Rom. I. 20. cum nihil sit causa sui ipsius, magis tamen ex lumine scripturæ, quæ & circumstantias refert, Gen. I. II. principium effendi, quod solus Deus est, qui nullis adhibitis instrumentis sed solo ῥήματι s. verbo mandati omnes creaturas provocavit ex nihilo, Gen. I. 3. II. Cor. IV. 6. Utut ὁ λόγος ὑποστατικὸς nullibi audiat ῥήμα, hic tamen is non excluditur, Ps. XXXIII. 6. 9. & Prov. VIII. 30. Joh. I. 3. Col. I. 16. III. formam, nam τοῦ in textu obvia κατὰ τὴν, concinnare, plus dicit, quam simplex κτίειν, creare. Deus enim non tantum in principio confusum produxit chaos, sed in posterioribus sextidui diebus, qui inde dies

EXOR-

exornationis vulgo dicuntur, κόσμον mundum, pulcherrime ex-
 polivit, Coh. III. 11. ut inde πολυποίκιλος ejus σοφίας satis dispa-
 lescat. Eph. III. 20. IV. Terminum a quo, quod Deus creavit μή
 ἐκ Φηιομένων, adeoque ex puro nihilo, nam quæ ne Dei quidem
 oculis apparent, vix ac ne vix quidem apparens esse habent, sed
 purum putum nihil sunt: Rom. IV. 17. V. Terminum ad quem si
 effectum, quem Apostolus & τὰς αἰῶνας vocat & τὰ βλεπούμενα,
 totum hoc universum intelligens, quod seculis, id est, temporum
 revolutionibus mensuratur oculisque videtur. Rom. I. 20. cœlum
 sc. & terram cum toto exercitu suo. Gen. II. 1. in invisibilibus quo-
 que Angelis consistente, Luc. II. 13. 15. Coloss. I. 16. Uti enim
 μικρόκοσμος, homo, anima, quæ pars ejus nobilissima spiritusque
 invisibilis, non obstante, nihilominus visibilis est & dicitur, sic &
 μακρόκοσμος, utut invisibiles quoque in se spiritus contineat,
 nihilominus τῶν βλεπομένων nomine h. I. venit.

vers. 4.

Uti in prima capitis parte Autor fidei naturam non tantum
 descripsit, sed exemplis geminis quoque declaravit hæcenus in
 genere, sic in parte altera exemplis Majorum fidelium & in spe-
 cie fidei quoque edocet efficaciam. Exemplum Protoplasto-
 rum, forsân quod de iis tam insigniter lapsis æque insignia fidei
 documenta in historia sacra non extant, sed potius ἀπιστίας, præ-
 tergressus Apostolus auspicatur v. 4. a sacris, quæ Protomartyr
 fecit Abel, non uti Joh. Spencero Lib. III. d. Leg. Ebr. Diff. II. c. 1.
 p. m. 119. alias visum, ex κακοζήλια, Gentes enim, quas in cul-
 tu æmularetur Abel, vix tum erant. Nec ex ἐθελοθρησκία, uti H.
 Grotius putat Lib. V. c. 8. d. Verit. Rel. Christ. p. m. 227. talis
 enim cultus displicet Deo. Num. XV. 38. Jes. XXIX. 13. Nec ex
 naturæ instinctu aut dictamine rationis, quæ Bellarmini lib. I. d.
 Missa c. 20. f. m. 774. & Episcopii lib. I. Instit. c. VIII. f. 18. opi-
 nio. Christus enim, cujus typi sacrificia fuerant, latet ratio-
 nem, Matth. XVI. 17. cui Mysteria salutis (præsertim Spiritus in-
 finiti

finiti placamentum per sanguinem) sunt stulticia, I. Cor. I. 23. II. 14. sed fide, quæ assensum includit, assensus vero præsupponit verbum, ex cuius auditu illa oritur. Rom. X. 14. Nec assensus locum habere potest, nisi supponatur, Deum revelasse aliquid, quod in ratione veritatis divinæ amplectendum. *Fide*, inquit Paulus, ex Gen. IV. 4. 5. *Abel excellentius sacrificium obtulit Deo, quam Cain, per quam reportavit testimonium, quod esset justus, testante ipso Deo de ipsius donis, & per illam etiam mortuus adhuc loquitur.* Fides hæc Abelis commendatur I. ab effectu, præstantiori scilicet sacrificio, quod præstitit oblatione Caini, non tamen ob materiam forte nobiliorem, ac si Cain fruges obtulisset tantum vilissimas, quæ pretii longe minoris ac pinguis Abelis sacrificia, Cain enim primipilus fuit hypocritarum, qui in cultu externo nullis sumptibus parcunt. Jes. I. 11. 12. Ut taceam, quod tam primitias frugum quam pinguis pecorum sibi in oblationem vindicavit Deus, Prov. III. 8. sed *Abel excellentius obtulit sacrificium Deo quam Cain, fide*, ob hæc enim Deus (cujus oculi respiciunt fidem, Jer. V. 3.) primo respexit Abelem, & post demum ejus quoque sacrificium, Gen. IV. 4. ob fidem quoque vel unicum piæ viduæ obolum pluris facit quam uberrima hypocritarum munera. Luc. XXI. 1. 2. 3. Misericordia enim præstat sacrificio, Matth. XII. 7. Econtrario ob impietatem, I. Job. III. 12. Deus nec Cainum respexit, nec consequenter oblationem ejus, Gen. IV. 5. conf. Am. V. 22. Sacrificium enim impiorum est abominatio Jehovæ. Prov. XV. 8. Nec, quod sine fide sit, Deo placere potest. Eb. XI. 6. sed est peccatum. Rom. XIV. 23. II. Celebratur fides Abelis & a Dei approbatione. Nam *Abel per illam reportavit testimonium, quod esset justus, testante ipso Deo de ipsius donis.* His paucis testimonium lautissimum ex asse describitur, I. quidem, ejus innuitur medium vocula *di'ns per quam*, scilicet fidem, quam hic & Estius & Schlichtingius intelligunt, per sacrificium enim Abel demonstravit fidem, per fidem vero reportavit testimonium. 2. Objectum, tum personale, Abel,

B. *quod*

quod esset justus & imputative, Matth. XXIII. 35. & inhærenter, I. Joh. III. 12. tum reale, quod Apostolus & in singulari *θυσίαν* sacrificium vocat, ob unum sacrificandi actum, & ob plures pecudes in sacrificium adductas nuncupat quoque in plurali *δῶρα* dona, de quibus Deus testatus est clementer illa respiciendo. Gen. IV. 4. 3. Principium, mentio enim fit *μαρτυροῦντι* & *Θεῷ* Dei procul dubio flamma cœlitis sacrificio immissa *testantis*, uti testari is consuevit de sacrificiis etiam Abrahæ, Gen. XV. 17. Aronis, Lev. IX. 24. Gideonis, Jud. VI. 21. Manoæ, Judic. XIII. 20. Davidis, I. Par. XXI. 26. Salomonis, II. Par. VII. 1. Eliæ, I. Reg. XVIII. 39. & Nehemiæ, II. Macc. I. 32. III. Amplificatur fides Abelis & ab efficacia, nam & *per eam* scilicet fidem *etiam* mortuus Abel, sed Deo vivens, conf. Luc. XX. 38. adhuc *λαλεῖ*, (uti legunt plurimi apud Millium f. 681. b.) *loquitur* atque clamat in effuso scilicet sanguine, Gen. IV. 10. Eb. XII. 23. uti vicissim & decollatorum animæ loquuntur imo clamant sub altari. Apoc. VI. 9.

vers. 6.

Secundum exemplum, in quo fidei efficaciam Autor ostendere intendit, fuit Enoch, cujus fidem ex Gen. V. 24. Apostolus ita effert, *ψ. 5. Fide Enoch. translatus est, ne videret mortem, & non repertus est, quod transfudit ipsum Deus, nam ante translationem suam testimonium accepit, quod placuerit Deo.* His Enochi fides commendatur I. ab ejus sublacione, nam *fide* operum merita excludente, Rom. IV. 5. *Enoch* totus, eveli enim quoad animas tantum, singulare, quantum hic describitur, Gratix Divinx *τεκμηρίον* non est, sed in fide obeuntibus obtingit omnibus, Jes. LVII. 1. Sap. III. 1. sed Enoch qua corpus qua animam *est* ex terra viventium *sublatus*, nulla tamen morte nedum violenta, ut Drusio visum, beneficium enim h. l. describitur non supplicium, *& non amplius repertus.* Uti Elias evolavit vivus sub lege, nec amplius inventus, quanquam satis diu quæsitus, II. Reg. II. 11. 17. sic & Enoch subvectus fuit ante legem, & sub Evangelio denique ipse Christus *ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανόν*, Marc. XVI.

19. in pignus immortalitatis, quæ & corpora manet quacun-
 que etiam ætate pie defunctorum. Enoch quidem in paradifum trans-
 locatus terrestrem creditur Pontificis ex vulgata, Syr. XLIV.
 26. in textu autem græco ne vola paradifi extat. Næ, si *He-
 noch usque ad finem mundi in terrestri aliquo paradiso detinen-
 dus est singulare illud admirabilis translationis privilegium,
 qua eum supra ceterorum mortalium sortem honorare voluit
 Deus, non privilegium est, sed molestissima detentio & seclusio
 ab iis bonis, quorum jam ingressus esset possessionem, si transla-
 tus non fuisset*; uti colligit B. Dorfeh. Dissert. I. Auctar. §. 18.
 p. 569. Paradifus terrestris diluvio, cujus aquæ altissimos quo-
 que superarunt montes, ita fuit deletus, ut nullum ejus velli-
 gium in hunc usque diem inveniri queat, in illo itaque Eno-
 chum hucusque divertere quis Bellarmino credat? *Transtulit
 ipsum immediate Deus in paradifum potius cœlestem, quo
 Paulus quoque raptus fuit. II. Cor. XII. 1. 2. 3. II. Effertur fides
 Enochi & prædicatione exemptionis a morte, sublatus enim di-
 citur, ne videret mortem non tantum spiritualement, a qua fideles
 omnes absolvuntur, Johan. VIII. 51. sed & corporalem, unde
 nec de ipso epicedium legitur, quod de Patriarchis reliquis
 communiter omnibus occurrit: & mortuus est. Gen. V. 5. 8.
 11. 14. 17. 20. 27. 31. Nam phrasis: non videre mortem Ps.
 LXXIX. 49. Luc. II. 26. negat ἀνάλωσις corporis atque ani-
 mæ, omnem tamen μεταλλαγὴν non excludit, illos quoque in-
 vafuram, qui rapiuntur vivi in occursum Christi. I. Cor. XV.
 51. I. Theff. IV. 17. Pontificiorum itaque opinio, quod E-
 noch illorum duorum sit testium alter, Apoc. XI. 3. 4. est
 aperte falsa & contra versum 7, ubi ipsorum uterque occum-
 bere discrete dicitur. III. Laudatur fides Enochi & a divina
 approbatione, nam ante translationem suam jam testimonio
 ornatus est, quod placuerit Deo. Apostolus LXX. hic secutus
 Moïsis sensum magis quam verba exprimit. Qui enim ambu-
 lat coram Deo (quæ verba Gen. V. 22. habentur) is Deo quo-*

que placet (quæ verba sunt LXX.) Ex his omnibus pro viva finalique Enochi fide tale adnascitur argumentum: Quicumque Patriarcharum translatus est vivus Deoque placuit, illum fide viva eo penetrasse oportet. A. Enoch. E. Minor est in hoc versu, Major confirmatur sequenti:

vers. 6.

Sine autem fide impossibile placere Deo, credere enim oportet accedentem ad DEUM, quod sit & quarentibus ipsum dator mercedis fiat. His antecedentia, quod Deo quis placeat non nisi fide; probat Autor ita: *Sine autem fide impossibile placere* (scilicet Deo ψ. 5.) Christus est ὁ ἀγαπημένος, Jci. V. 1. Eph. I. 6. & ἀγαπητός, in quo Deus solo gratiose acquiescit, Matth. III. 17. in illo itaque, qui se a fide in Christum subduxerit. Eb. X. 38. anima Dei beneplacitum non habet, sed is iræ filius manet, Joh. III. 36. Eph. II. 3. nec Deo nisi fide demum in filium adeo dilectum placebit, ex qua tum vivet, & quidem sola, Ebræ. X. 38. Quem sensum Exclusiva χωρίς & alibi in ejusmodi propositionibus negativis subministrat. Nam Joh. XV. 5. χωρίς ἐμῆ, nil potestis facere aliquid. Matth. XIII. 34. χωρίς παραβολῆς non loquebatur eis; idem est ac: Per solas parabolas loquebatur eis; Rom. X. 14. quomodo audient; χωρίς κηρύσσωντος? idem est ac: Per solos prædicantes audient; sic & h. l. χωρίς πίστεως impossibile placere Deo; idem est ac: Per solam fidem possibile est placere Deo. E. impossibile est sine fide esse electum, E. impossibile opera irrogenitorum esse bona Deoque placere, E. impossibile gentiles absque fide salvari. E. & infantes credunt, quod placent DEO, Matth. XIX. 13. 14. Marc. IX. 36. X. 16. cui absque fide placere impossibile. Martinez de Ripalda Tom. III. de Ente Naturali Disput. 20. inter fidem strictè talem distinguens & late, sic dictam, vult ad placendum Deo non opus esse fide strictè sic dicta, sed sufficere late sic dictam ex speculo creaturarum oriundam. At vero fides salvifica est tantum una, Eph.

Eph. IV. 5. & quicquid ex autoritate dicentis non resultat, sed ex creaturarum tantum conspectu, ne fides quidem est. Hæc confirmat Autor II. dicens: *Credere enim oportet accedentem ad Deum.* Deus est omnipræsens, accessus ad eum itaque hoc loco requiritur non tam corporis quam devoti cordis, vid. Eb. IV. 6. 16. X. 22. Imo Deus ignis quoque est consumens, Jes. XXXIII. 14. E. non nisi per Mediatorem Christum. Joh. XIV. 6. consequenterque non nisi per fidem in Christum, Joh. VI. 35. Rom. V. 2. Eph. III. 12. adiri potest. Tanta fidei est necessitas: Uti enim contraria juxta se posita magis elucescunt, sic hoc loco τὸ ἀδύνατον ac τὸ θεῖ, se invicem exponunt. Quia credere oportet accedentem ad Deum, ideo impossibile est sine fide placere Deo. Particula γὰρ index est argumenti, quod in forma esset tale: Quoscumque ad Deum, ut ipsi placeant, accessuros oportet credere, quod is solus sit verus Deus & dator mercedis, illis sine fide placere Deo est impossibile. A. omnes homines &c. E. Denique III. describit Autor objectum fidei, *quod sit Deus & quærentibus ipsum dator mercedis fiat.* Fidei itaque qua notitiæ objectum Deus ille accedendus, cui Enoch placuit. Cruda sunt quæ s. h. I. Schlichtingius scribit: *quod hæc fides longe absit ab eorum fide, qui eam in meriti Christi apprehensione & applicatione collocant. Patet etiam non omni in Deum fide, seu non cujusvis temporis respectu fidem in Christum contineri: quandoquidem in descriptione fidei præscorum hominum nulla fidei in Christum fiat mentio.* s. 185. b. Verum enim vero oportet quidem credere existentiam alicujus Θεότητος, talis fides tamen utut necessaria nondum tamen ad salutem est sufficiens, sed adscribitur Gentibus quoque veritatem in injustitia detinentibus. Rom. I. 18. 19. 20. qui Athei inde audiunt. Eph. II. 12. comperit Caino etiam, qui tamen Deo displicuit, imo tribuitur & Diabolis, Jac. II. 19. qui Deo minime placent aut cordi sunt. Hoc autem loco talis in præscis laudatur fides, quæ fert ad Deum, ad quem vero venit non nisi per Christum, qui solus via,

B 3

veri-

veritas & vita. Joh. XIV. 6. Eph. III. 12. Adeoque talis Patriarcharum fides fuit, qualis fuit in conversis Hebræis c. X. 35. & quali salvamur & nos. Act. XV. 11. Nostra vero fides in Christi ejusque meriti apprehensione ac applicatione est occupata. Nec tamen incommodat quid, si nihilominus largiamur, fidei objectum intelligi h. l. posse inadæquatum, solam quippe Dei existentiam, circa quam partes fidei tantum quædam, notitia & assensus versantur. Nam positio unius (notitiæ) non statim est exclusio alterius, (fiduciæ) quod etiam immediate sequitur: *Quod Deus querentibus ipsum dator mercedis fiat*, non semper in hoc ævo, E. tum in futuro. Querendus est Deus toto corde, Deut. IV. 29. Ps. XXVII. 8. Jes. XLV. 19. 22. LV. 6. Jer. XXIX. 13, Am. V. 4. 6. 14. nec non *μισθαποδοσία* respicienda. Eb. XI. 26. Hinc quidem operum merita Corn. a Lapide evincere vult, Willh. Estius vero s. h. l. commentatur: Vox *μισθαποδοσίας* hæreticos urit, operum merita negantes. Quæ tamen vox pro meritis proprie talibus nihil facit. Datur enim merces & *κατὰ χάριν*, quæ improprie & analogice tantum merces, Rom. IV. 4 quia datur non ex debito sed tantum ex promisso, in fine operis. Hinc ipse Bellarminus: *Operibus quæ sunt ex gratia, qualis est ipse actus fidei, & quæ inde consequuntur, id quod redditur, non est simpliciter merces, sed etiam gratia, imo magis gratia quam merces* lib. I. d. Iust. c. 19. *μισθαποδοσίας* vero proprie talis opera indebita sibi que utilia non tantum ex promisso rependit sed & debito, quæ omnia ac singula indigniora sunt, quam de Deo ut dici queant. Sed supra de his plura ad Eb. X. 35.

vers. 7.

Tertium fidelium Antediluvianorum exemplum est Noha, v. 7. *Fide divinitus admonitus Noa de iis, quæ nondum videbantur, veritus, preparavit arcam in salutem domus suæ, per quam condemnavit mundum, & ejus, quæ juxta fidem est, justitiæ factus est heres.* His fides Noachi justifica describitur I. a divino æstimo, imo principio, dicitur enim ille *χηματισθείς*
divi.

divino oraculo monitus, quale est principium fidei justificantis genuinum ac unicum. Rom. X. 14. 17. deinde fides ex verbo orta nos Dei amicos reddit arcanorumque ejus consiliorum participes. Am. III. 7. II. Ab objecto, *iis* scilicet, *quæ nondum videbantur*, exempli gratia a diluvio & incredibili in eo VIII. animarum conservatione, quæ t. t. nondum videbant mortales imo ne somniabant quidem, sed potius ridebant. conf. ꝑ. 1. III. a quatuor effectibus, 1. timore filiali. Noa enim legitur *εὐλαβηθεὶς*, *veritus* scilicet *χερματισμῶν*. Hinc Bellarminus evincere annititur, fidem justificantem non esse fiduciam, quia fiducia non gignat metum, sed expellat. Tom. IV. lib. I. d. justif. c. 5. f. m. 708. Verum *εὐλάβεια* h. l. non dicit metum servilem quo conscientiæ malæ Deum Judicem iratum ejusque pœnas reformidant. Rom. VIII. 15. sed timorem Dei filialem, qua Noa sibi a peccatis cavet, ne neglecto *χερματισμῶν*, cœlestem iis offenderet Patrem, & hic timor fiduciam filialem non expellit. conf. Ps. II. 11. I. Pet. I. 17. 2. ab arcæ fabricatione, fide enim *preparavit* etiam *arcam in salutem* temporalem, quæ pignus atque typus fuit salutis & æternæ, *domus sue* ex VIII. animabus constantis. Gen. VI. 18. I. Pet. III. 20. 3. a mundi condemnatione, de qua ita tinnit textus: *Per quam*, scilicet fidem, Præco justitiæ II. Petr. II. 5. *condemnavit* inexcusabilis contumaciæ *mundum* incredulum, sicut condemnabant Judæos Ninivitarum nec non Regina Austri Matth. XII. 41. 42. 4. a justificatione, quæ Noæ tribuitur sequentibus: *& ejus quæ juxta* non opera sed *fidem est justitiæ* Jesu Christi, *factus est heres*, id est particeps. conf. Gen. VI. 9. Rom. VIII. 17. Gal. IV. 7. Hic iterum *ἀσμεπῆ* Bellarminus Noæ justitiam tribuens formalem inhaerentem ex eo, quod factus est justitiæ heres. Lib. II. d. Justif. c. 3. f. m. 783. Justitiam quidem inhaerentem Noacho nec nos adjudicamus, hoc tamen loco justitia ipsi vindicatur quæ per fidem ipsi extrinsecus imputatur. Rom. IV. 3. 6. Gal. III. 6. eoque ipso inhaerenti contradistinguitur, conf. Rom. III. 21. 22. IV. 13. 16. IX. 32. X. 3. Gal. III. 21. 22. Phil. III. 9.

Ardua quam placuit multis defendere, Res est:
Hinc quoque Te mancant premia digna, precor.

Hæc B. O. G. posuit

M. SEEFRID, SS. Theol. St.

Ceu LAPIS immoto firmat fundamine turrim,
Ne cadat offensis exagitata notis:
Ancipites Tibi ne casus fortuna minetur,
Sta pede. Sic nunquam tibia firma cadet.

Hæc astumatissimo suo Cognato
propera manu adposuit,

M. F. H. STEIN.

GRæca Fides, sublesta fides! fidentius ergo
HEBRÆA VETERUM vivere discite FIDE.
Vixit Hebræa pietate fideque probatus,
GERMANUS populi tempore DOCTOR eris.

Perfidei suo Cognato
Venerabili & Clarissimo
Dn. Respondenti
paucula hæc gratulabundus
apponere voluit

M. CHRISTOPH. FRIDERICUS Stein/
Felbac. SS. Theol. Stud.




00 A 6314

56.

17

Bl. 141





DISPUTATIO THEOLOGICA,
DE

FIDE PATRUM
ANTE-DILUVIA-
NORUM,

Ex Epist. ad Ebræos, Cap. XI. vers. 1.
& seq. deducta,
Quam sub Auspiciis

JESU CHRISTI

Τῆ Τῆς Πίστεως Αρχηγῆ καὶ Τελευτῆ

PRÆSIDE
VIRO

Summe REVERENDO, AMPLISSIMO
ATQUE DIGNISSIMO

DN. JOH. CHRISTOPH. PFAFFIO,
S.S. Theol. D. ejusque P.P. longe Celeberrimo, Ecclesiae
Decano spectatissimo, ut & Stipendii Theolo-
gici Superintendentente Gravissimo.

Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suorum
Studiorum pie sancteque Colendissimo
Publico Examine subicit

M. JOHANN EBERHARD STEIN, Neostadiensis
ad Tiliam Magnam, SS. Theol. Stud. & Ser. Stip.
Ad diem Septemb. M. DCCXVI.

TUBINGÆ, Literis JOSEPHI SIGMUNDI.